



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 34. Bonivetus Fœderatis resistendo impar indeque turbatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

vetus hasce suppetias, cum autem Pi-  
 scario a suis exploratoribus nunciatum  
 esset, quod Bajardus adversa valetudi-  
 ne pressus lecto decumberet, quantocius  
 illum intercipere statuit. Adhucdum  
 cœlum albebat, cum jamjam Rebeccanæ  
 urbis portas attingens, milites, qui ex-  
 cubias agebant, primamque stationem  
 vi perrumperet, prius vero septem mil-  
 lia peditum ac quingentos, quos duce-  
 bat, cataphractus tunicas albas super  
 arma sua induere jusserat, ut concubia  
 nocte eo facilius sese a Gallis interno-  
 scerent: unde ea pugna vulgo *antelucana*  
*irruptio* vocabatur. Bajardus ad pri-  
 mos adventantis hostis rumores e lecto  
 suo sese proripuit, ac tremulo febris hor-  
 rore agitatus, quamvis ea die medici-  
 nam sumpsisset, in equum insiliit, at-  
 que post exiguum admodum tempus cum  
 quinque vel sex suis Cataphractis muni-  
 mentum conscendit.

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1524.

§. XXXIV.

*Bonivetus Fœderatis resistendo impar,  
 indeque turbatus.*

Accesserant brevi Lorgesius, aliæque  
 Gallorum copię, quibus suffultus  
 tam rara fortitudinis suæ specimina ede-  
 bat Bajardus, ut quaquaversum ferro  
 fugæ viam sibi aperiens, omnes ferme  
 mili-

Mem. du  
 Bellai l. 2.

Se cul. XVI.  
A.C. 1524.

milites suos periculo subduxerit, ac Biagrassam sese receperit. Occurrebat in itinere Boniveto Admirali, nec se continere poterat, quin eidem exprobraret, ab eo ad tam imprudentis consilii necessitatem fuisse adactum. Interea Federati, cum in Admiralis castra irrumperere desperarent, die secunda Martii impositis tribus pontibus Papiæ Ticinum flumen superarunt, ibidemque castra posuerunt, ut Boniventum famis vi ad deditionem cogerent, simulque præpedirent, ne is Helvetiorum reciperet suppetias, quas per Pragelafensem, & Sallafforum vallem accurrentes expectabat. Bonivetus castris Vaglebanum promotis trans Ticinum substitit, ut militibus suis comeatus copiam magis expeditam redderet; verum hæc quoque Boniveti consilia evertibat hostium solertia; hi quippe captis Sertirana & Vercellis urbibus liberum ad Pedemontanam Regionem aditum Gallis intercludebant. Pariter eodem tempore nunciatum fuit Boniveto, Monteianum & Bouterium a Joanne Medicæo captos, eorumque copias penitus fuisse profligatas, non sine ingenti etiam Cataphractorum dispendio, tanto magis Gallis funesto, quo tota illorum spes unice reposita esset in sex millibus Helvetiorum, qui jamjam Ivream venisse dicebantur. His igitur,

ut

ut sese jungeret Bonivetus, statione mu- Sæcul. XVI.  
A.C. 1524.  
tata Novarræ castra metatus est, ubi  
vero inter ipsum, ac Vercellas urbem  
Fœderati sua castra ponebant, rursus  
Bonivetus Romanagnum usque, oppi-  
dum ad Sicidam situm procurrere, im-  
positoque ex navibus ponte flumen si-  
lenti agmine trajicere compellebatur:  
ubi occurrebat proxima nocte Helvetiis,  
qui datam sibi fidem nequiter violatam  
questi ulterius progredi renuebant; quo-  
rum repugnantia factum, ut Helvetio-  
rum potissimi, quos Gallorum exerci-  
tus numerabat, popularium suorum  
consilia edocti relictis Gallorum signis  
quantocius dilaberentur.

## §. XXXV.

*Bonivetus in fuga invasus, ac  
vulneratus.*

Admiralis hac Helvetiorum pertina- Capella l. 2.  
cia perterritus, trajecto Sicida flu-  
vio nil reliquum habebat, quam ut cum  
suis in Franciam aufugeret; verum ul-  
timo ejus agmini ex paucis, qui supe-  
rerant equitibus conflato Fœderati tam  
acriter instabant, illudque tanta cædis a-  
viditate aggrediebantur, ut ad primam  
scloporum explosionem Bonivetus in  
dextero brachio minoris plumbi glande  
trajiceretur, ac faucibus e prælio exire  
com-